





Wittgenstein's concept of meaning

*Ad Actum Oratorium*  
Proximâ septimanâ σὺν θεῷ παλάμη adornandum  
**Dominos Patronos, Inspectores atque universos**  
literarum Fautores humanissimè invitat

Scholæ Torg. Rector  
M. JACOBUS Reichmann/ Fac. Phil. Witteb.  
πρὸ τῷ Adjunct.



Oc Vere, divino munere auspicato, ut spes est, & feliciter ineunte benignior paulò aëris clementia sereniorē nobis & magis propitiam cœli faciem pollicetur, quām hactenus inter tot nives subinde conglomeratas, pruinæ atque glaciem, inter brumalem, eumque intensissimum rigorem quilibet nostrum, non sine salutis fermè dispendio fuit expertus. Non segetibus denuo, non pratis, vinetis, arbustis, nec animalium corpusculis ullis superior illa hyberni semestrī tempestas mixta grandine atque nimbis amplius erit speranda. Pomaria etiam & horti, nec non pecudum pastus, cum flagrantissimo astu jam pristinum sibi certò expectant decus atque ornamentum. Præcipue verò apum examina hoc anni præludio ad consuetos lusus revocanda ad alvearium lymna præstolantur, quarum vehementissimus in florū omnium varietatem ardor atque desiderium ingens è terra gremio molliter hiscente, solisque vapore tepefacto elicit quasi herbescētem viriditatem. Condenata quippe cohors illa, diu satis inclusa caveis per tot tamque iniqua hyemis spatia hæsit in latibulis, & quodcumque sedulo partum servabatur Patrifamilias, providâ curâ, quantum per naturam licuit, indies augere magis, atque accessiones facere, quam abliguriendo diminuere, quām diligentissimè studuit. Parcis admodum summa fuit cautio, ne unquam fallerent fidem, sed continentiam probarent, quām benè servaverint congesta, quantoq; cum scenore redeat, quodcumque antehac iis fuit concreditum à solerti sobolis apiaria cultore. Jam modo in apricum se se camq; ex domunculis committere, è tenebris atque umbrā in Solem prodire, suum exponere agmen, volupe est. Sapientissima magistra, Natura, illas instigat atque extimulat ad legendum delicatissimas florū purpurasque & crocos, & nives, variegato decore ex telluris complexu gemmantes flosculos, violas, rosas, mollioresque ex vernantibus pulvinis delicias. Nihil est in hoc animalculo, quod singulare non sapiat ingenium, dædalum non exprimat artificium. Adeste quæso, adeste, dum licet, tām sedulam curam, pertinax studium, indefessum laborem in parya mole, in gracili corpusculo putate cum animis, atque summa cum admiratione cuncta venerabimini. Scilicet sub horum simulachro perfectissima scholæ, & operarum ejus pulchritudo exhibetur. Ex universis quippe bestioliis, quas egregias præ cæteris judicamus, apes antecellere videmus, & quicquid in iis eximium atque notabile deprehendimus, in vitam suam ut transferat juvenes, par esse omnino censemus, rati, hoc pacto illos primævæ originis imaginem quām effectissimè posse absolvere. Literarum Ver pectora eorum arctius complexum ad amoenissima Musarum viridaria neminem nō admittit in quibus uberrimè inest. Unde copia

*Manabit ad plenum benigno*

*Ruris honorum opulenta cornu,*

ut facile Mide rosetum, hortos Alcinoi, vel Theffalica tempore sordere possint. Locus hic est genialis totus, ac plenus deliciarum, unde merum mel, merum Nectar sugere, & ex collectis opibus favos construere nulli insigniter gnavo non licet. Sedulas ejusmodi atque indecides Musarum apiculas in hybernis Rheticorum umbris servavimus hactenus, pubem scholasticam fideinostre antea commissam, quæ Floriferis ut apes in sylvis omnia libant,

*Omnia sic itidem depavit ea aurea dicta,*

*Aurea perpetua semper dignissimavita.*

Aberint alii ad consuetum illud Alex. M. & Jul. Cæsaris pilæ exercitijum, disci jactum alii, alii cursum saltumque aut palæstram elegerint. Nostri aliter longè intra privatos scholæ publicosque parietes educati, in præstantissimas Virtutum ita adoleverunt, ut apum naturam atque ingenium sectati, quicquid generosum in floribus fuit, imbibent fugendo, & in dulcissimum mel abstulerint. Perlustrandæ igitur operas singuli ordine suas constituto ad hoc negotium die horisque consuetis matutinis exponent, & si quid gratum atque jucundum auditorio fuerit, Deo uni unice acceptum ferendum volunt. Indiger juventus calcaribus benevolentia & favore juvanda est, & excitanda ulteriori modo ad capessandas artes egregias, sed confirmanda etiam atque alenda omnium bono. Quocirca omnes & singulos eruditos pariter ac honestos viros venimus rogatos, dignari velint in honorem Dei, Scholæque patriæ salutem eò frequenter convenire, & declamatoribus adolescentibus benevolam atque prolixam dare operam, cæterosque autoritate sua monere, ut & ipsi in floridissimos aheant campos, parique industria delibent pietatis violas, humanitatis rosas, lilia integratatis, ingenii & eruditionis hyacinthos, aliarumque virtutum selectissimam copiam,

*Quam neque frigoribus Boreas, nec Sirius uret*

*Æstibus, æternō sed Veris honore rubebit.*

Scrib. Torgæ d. i. Martii A. C. M DC LIX.

Nomina eorum, qui peroraturi sunt.

I. JOHANN. MELCHIOR SCHUGKIUS Macroswalbac, abiturus ad Acad. selegit materiam in prosâ de  
Literarum Necesitate.

II. CONRADUS TROMMERUS Plaviensis, itidein ad Acad. abiturus Palladem Prætextatam in medium producit,  
ac post dicturus est Vale.

III. CHRISTIANUS TREUTLERUS Witteb. Patriam commendabit WITTEBERGAM.

IV. AUGUSTINUS MOLLERUS Zittaviensis, Dresdam præferet.

V. TOBIAS Pflugmacher Coalbensis, differet: Num peregrini admittendi sint in patriam Scholam?

VI. MICHAEL Am Ende Torg. patriam ornabit latino sermone.

VII. JOHANN. CASPARUS Richter Albi Encomium recitat.

VIII. GEORG. GODTFRIED ECKARDUS Jesnensis Græco carmine, eoq; Heroico svadebit Græcas & Lætinas literas conjungendas.

IX. CHRISTIANUS Messerschmidt Torg. Elegiaco, enarrabit passionem Domini nostri JESU CHRISTI,  
cui laus & hohor in secula.

WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS HAKEN.

# Lectures on LITERATURE.



卷之三

78 M 437



TA 706

Kein Rest.

nur 51. Stav verknüpft bisher

I

WPA



# Farbkarte #13

B.I.G.

